



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis Universa

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, per Casus  
practicos exposita, nunc quartò ab ipso Authore revisa ... & in 4. Tomulos  
sic divisa, ut pro libitu in duas aut 4. Partes commodè compingi possit

à Casu XXXVII usque ad Casum LXXV. inclus. exhibens Materiam de  
Restitutione, de Contractibus, de Religione & Vitiis eidem oppositis

**Jansen, Leonard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1752**

**VD18 13475452-001**

Casus LXIII. De Statu Religioso, ejus essentia, & proprietatibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39820**

E X

TRACTATU  
DE RELIGIONE  
CASUS LXIII.

De Statu Religioso, ejus Essentiâ, &  
Proprietatibus.

**Q**uirinus Theologus interrogatur : 1. An volens castitatem, obedientiam, &c. in manu Confessarii, sit verus Religiosus. 2. An ad Novitiatum admitti possit impubes, infamis, debius obstrictus, &c. 3. An annus Novitiatus debeat esse integer de momento ad momentum. 4. An interrumpatur, si Novitius diu extra moretur, vel vestem sacularem animo abeundi spontè, aut jussu Superioris ad breve tempus reassumat. 5. An completo Novitiatu dimissus & reassumptus indigeat novo Novitiatu. 6. Quid si transeat ad aliud Monasterium, vel post transitum redeat. 7. Quid si Professio sit nulla defectu ætatis, vel ob non expletum annum probationis. 8. An Novitius justè vel injustè ejectus & iteratà receptus, debeat Novitiatum de novo inchoare. 9. An exire possit, qui vorit perseverare. 10. An Novitius licitè ejici, & donata ab ipso saltem ad compensationem victus retineri possint. 11. An valeat Professio ante annum decimum sextum, vel facta ex metu reverentiali, aut ab ipso

consensu omnium Conventualium, & an mortuo  
Prelato Conventus Professiones recipere possit. 12.

Quid si femina profiteatur in Monasterio viro-  
rum, vel hermaphroditus, aut forte non bapti-  
zatus, vel non manifestans defectum occultum.

Qui sint effectus Professionis. 14. Qualiter  
intra quinquennium Professio invalida reclamari  
possit, & an credatur juranti. 15. An ignorans  
invaliditatem audiatur post quinquennium, & an  
Superiorum gaudeat Ordinis privilegiis, & in Superio-  
rum promovendi possit. 16. Quid si invaliditatem  
reclamare nequeat. 17. An Professio invalida re-  
clamari possit sine novâ Superiorum acceptatione.

Quid hic in praxi. 19. An & qualiter  
Professio transire liceat ad aliam Religionem?

Religio quandoque accipitur pro virtute, quâ  
Deo debitus cultus exhibetur, de hac, & vitiis  
oppositis agemus paulò post; pro nunc  
tractabimus de Religione, in quantum significat  
statum Religiosum. Et quidem pro Resolutione  
statu.

QUÆR. I. Quid sit Status Religiosus?

Est vita communis, quâ fideles per emissio-  
nem trium votorum in Ordine ab Ecclesiâ appro-  
bato tendunt ad perfectionem Christianam; est  
communis & certa: tria autem vota consistunt in  
obedienciâ, quâ propria voluntas, in paupertate,  
quâ jus & omne dominium rerum tempora-  
rium, & in castitate, quâ omnis delectatio  
terrena abdicatur; ideòque tria ad substantiam  
Religionis requiruntur: 1. Dicta tria vota. Tra-  
ditio sui facta irrevocabiliter saltem ex parte vo-  
tantis; quod addo, quia Societas JESU est vera  
Religio, ut patet ex Bulla Greg. XIII. Ascenden-  
tis Domino, aliorumque Pontificum, & tamen ex



parte Societatis acceptatio est revocabilis, quo-  
ad illos, qui emiserunt vota simplicia. 3. Debet  
fieri traditio in Ordine à Sum. Pontifice approbo-  
to, unde omnes ii, qui in manus Confessarii,  
vel aliter extra Religionem approbatam tria vota  
emittunt, non sunt propriè Religiosi, *Suar. La-  
ym. Hiac. Donatus rerum Regul. to. 4. tr. 1. q. 4.*  
Et quamvis omnes Religiones in substantia con-  
veniant, distinctas tamen, & præcipuè quatuor  
habent regulas, videlicet S. Basilii, S. Augustini,  
S. Benedicti, S. Francisci, excipe Carthusianos,  
Societatem Jesu, & Minimios institutos à sancto  
Francisco de Paula, qui speciales habent regulas  
ab Ecclesia approbatas, *v. Reiff. l. 3. decret. 1. 31.*  
*à num. 23.* ubi omnes Ordines eorūque iurta  
recenset.

QUÆR. II. Quinam ad Religionem recipi  
possint?

2. R. Ut aliquis ad Novitiatum recipi possit, re-  
quiruntur seqq. 1. *Ætas pubertatis, id est, in*  
*fœmellâ annus duodecimus, in masculo decimus*  
*quartus completus, c. 18. de Regul.* quia tunc pri-  
ùs adest discretio sufficiens ad experienda onera,  
Religionis, *Pyrb. l. 3. t. 31. num. 26* ita ut quam-  
vis habitus citiùs assumi possit, non tamen valeat  
ad annum probationis computari. In nostro S.  
Ordine Præmonstratensi in Clerico ad Novitiatum  
licitè recipiendo requiritur annus decimus sextus,  
in converso vigesimus.

2. Requiritur, ut sit liber à servitute, ut ceterum  
est ex Bullis Sixti V. & Clementis VIII.

3. Ut non sit infamis, *arg. c. 1. caus. 19. q. 1.* unde  
de arcendi sunt lictores, carnifices, histriones,  
mimi.

4. Prohibentur recipi debitis & ratiociniis ob-  
 tineti, *c. 1. dist. 53.* intellige, si in sæculo ma-  
 nentes intrà breve tempus satisfacere possint, *v.*  
*de. 47. q. 7.*

5. Corpore vitiati, ut cæci, muti, surdi,  
 deformiter claudi, gibbosi, hermaphroditi,  
 morbo caduco vel gallico affecti, *Pelliz. t. 2. c. 4.*  
*de. 10. q. 2. 3. 9. 23. & 26.* cum enim extit. de  
 corpore viciatis hi arceri debeant à Statu Clericali  
 seculari, multò magis à Statu Religioso, utpote  
 inefficere.

6. Recipi prohibentur criminosi, fures, la-  
 mes, homicidæ, & de similibus criminibus  
 suspecti.

7. Recipi non potest Episcopus sine Papæ licen-  
 tiâ, *c. 2. de translat. Episc. c. nisi 10. de re-  
 cept.*

8. Nec filius, cujus parentes sunt in gravi, vel  
 extremâ necessitate, & ab ipso in sæculo manen-  
 tes, sine periculo animæ propriæ juvari possunt,  
*de. 10. q. 2.* quia propter opus consilii non est re-  
 quendum opus præceptum. Si parentes filii,  
 non indigeant, iis etiam invitis recipi potest,  
*de. 10. q. 2. de Regul.*

9. Antequam Novitius recipiatur, diligens in-  
 quiritio faciendâ est super ejus vitâ, moribus, ha-  
 bitate, & quo spiritu, mente, & zelo Religio-  
 nis elegerit, *Bulla Clem. VIII. cum ad Regula-*  
*rum.* An verò Religionem ingredi, & per con-  
 sequens admitti possit, qui vi, fraude, vel spe  
 matrimonii virginem defloravit, dixi *Cas. 43. à*  
*de. 10.*

QUÆR. III. Quid circa Novitiatum.

1. Sequentia: 1. Requiritur annus integer à 3.  
 receptione habitûs, ita ut Professio antea facta sit  
 in-

invalida, *Trid sess. 25. c. 11.* & quidem hoc tempus computandum est à momento ad momentum, ita ut, si vel una hora desit, Professio sic invalida, *Azor. Sanch. Dian. Grassius, Sannig. de reg. 1. n. 3. La Croix. l. 4. n. 13.* Ratio est, quia Trid. requirit annum integrum, sed si desit hora, non est integer; ergo. Idque nunc certum esse per definitionem S. Congregat. ex Barbol. & Fagn. docet *Reiffenst. n. 97*

4. 2. Novitiatus debet esse continuus, si fuerit interruptus, debet de novo inchoari, *Miranda, Pirrh. n. 40. Krimer n. 2680.* & teste Fagn. omnes tunc autem censetur Novitiatus interrumpi, si Novitius vel spontè, vel dimissione à Superiore obtentâ, locum & animum Religionis dimiserit, etiam si tantùm ad unam vel alteram horam, *Stueff. Sanch. Nav. Krimer l. c.* & ita declaravit S. Congreg. apud Fagn. in *c. insinuante num. 36.* quia Tridentinum ad valorem Novitiatus requirit annum continuum, sed si vel una hora per interruptionem Novitiatus cesset, non est annus continuus: ergo. Si Novitius cum licentia Superiorum, sanitatis vel negotiorum causâ, etiam per aliquot menses moretur extra Monasterium, vel egrotet, non interruptitur Novitiatus, sed nec tunc, si Superior Novitium indutum veste seculari cras volebat dimittere, sed mox mutatâ mente vestes Ordinis reddat, aut si Novitius ex intentione abeundi clam dimittat habitum, sed Monasterio nondum relicto iterum reinduat, non indigebit novo Novitiatu, quia interruptio non censetur completa, nisi accedat Superiorum dimissio, vel Monasterii egressio.
6. 3. An verò post completum Novitiatum dimissus, & re assumptus indigeat novo Novitiatu, est

mutant AA, si mores Novitii non videantur notabiliter immutati, neque Religio sit interim reformatæ ad majorem rigorem, probabilius judico Novitiatum non esse necessariò renovandum *Pelliz. Sanch. Lezana, Pyrrh. Krimer n. 2694.* quia Tridentinum plus non requirit, quàm annum integrum probationis, nec ullâ lege præscribitur, ut Novitiatu & Professio fiant tempore continuo. Novitius ex inconstantia Religionem deseruit, impedit eum de novo probari, si non per annum, tamen ad aliquot tempus.

4. Si Religiosus ad diversam religionem, vel ad alium ejusdem Ordinis Monasterium, quod est reformatæ & strictioris observantiæ, transeat, indiget novo Novitiatu, quia novi Monasterii, vel Ordinis asperitates nondum probavit, nec Ordo, vel Monasterium ipsius mores. Econtra si à posteriore Ordine, ad quem legitimè transit, redeat ad anteriorem, non tenetur in illo repetere Novitiatum, quia jam probavit asperitates prioris Ordinis & hic illius mores; *Pelliz. in man. t. 2. c. 1. q. 2. n. 20.*

5. Si præmissis integro Novitiatu ex defectu ætatis, vel alterius requisiti Professio est invalida, non indiget novo Novitiatu, quia per integrum annum probatus fuit, adeoque expletâ ætate, vel ablato per dispensationem impedimento, satis est, si ratificetur Professio invalidè edita; imò tunc, quando Professio est nulla, quia emissâ ante expletum probationis annum, necessarium est totum annum repetere, sed sufficit, si compleatur tempus, quod deerat, & Professio ex novo renovetur, vel ratificetur, quia Novitiatu per Professionem non fuit interruptus, *Sanch. l. de matr. d. 37. à n. 45.*

6. No-

8. 6. Novitius justè ejectus, si reassumatur, debet novum Novitiatum subire, quia judicatus est ineptus ad Ordinem, per consequens Novitiatum ejus non fuit validus, secùs, si injustè ejectus, & per appellationem ad Superiorem fuerit restitutus; nam per accessum ad Superiorem Novitiatum non interruptitur, *Pelliz. q. 26. n. 43.*
9. 7. Novitius, si bonâ fide judicet, religionem sibi non expedire, liberè ad sæculum regredi potest, etiamsi voverit eam intrare, vel in ea perseverare, *Sotus l. 7. q. 2. a. 1. ad 3. Pyrrh. num. 67.* Ratio est, quia *Trid. sess. 25. de Reg. c. 15.* declarat, ipsam professionem seu votum solenne permanenti emissum ante expletum probationis annum nullam habere vim & obligationem; ergò multò minus obligationem pariet, & libertatem regrediendi impediet votum simplex perseverandi. Si voverit ingredi certum Ordinem, & non recipiatur in uno Monasterio, tenetur operam dare, ut recipiatur in altero, & si admissus sine gravi causa egrediatur, peccat mortaliter, & denuò pro susceptione instare tenetur. Si autem principaliter intendit se obligare ad hanc religionem vel ad hunc locum propter specialem complacentiam hujus religionis vel loci, non tenetur ad aliam religionem intrare, si eum illi recipere nolunt *S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2. Pontas. V. Vorum Cas. 30.*
10. 8. Novitium injustè ejicientes peccant mortaliter cum obligatione recipiendi, ut dixi *Cas. 42. q. 1.* & ejectus appellare potest ad Superiorem, qui eum restituere debet, *De-Luca, Pignat. Donatus 20. 2. 5 q. 10.* Ratio est, quòd legitime susceptus acquisierit jus ad rem, seu professionem.



9. Novitio ejecto vel exeunti omnia, quæ se-  
 tum tulit, & quæ parentes vel consanguinei ex ejus  
 bonis (intellige in tantâ quantitate, quæ liberum  
 regressum impedire possint) Monasterio donâ-  
 unt, à *Trident. sess. 25. c. 16.* sub anathemate  
 reddi jubentur; non tamen ipse habitus, sed ejus  
 pretium, quo æstimatur tempore discessûs, ei  
 reddi debet, *Barbos. Pelliz. c. 6. num. 28.* Nec  
 potest aliquid exigi pro victu vel amictu, nisi ita  
 habeat consuetudo, vel de solutione pactum inter-  
 fuserit, *Lug. de just. f. 9. à num. 61 La Croix. nu.*  
*4. Eng. l. 3. t. 31. num. 5.* quia redditus Monaste-  
 rii non tantum ad alendos professos, sed & Novi-  
 tios ordinati sunt, & Novitii Monasterio exhi-  
 bent sua officia; ergo dignum est, ut à Monaste-  
 rio alantur: & quamvis super victu vel vestitu pa-  
 ctum sit, non poterit tamen Novitius ab egressu  
 impediri, usque dum solvat; & si tunc non habe-  
 at, vel solvere recuset, debet eum postea conve-  
 nire & Monasterium sibi imputare, quòd talem  
 susceperit, *Sanch. Pelliz. num. 11. Pyrrh. num. 65.*  
 Novitius moriatur in Novitiatu, vel antequam  
 solvèdè professus, & dos jam soluta sit Monaste-  
 rio, restitui debet hæredibus unà cum fructibus,  
 & ita decisum esse refert *Barbosa de pot. Episcopi al-*  
*leg. 101. num. 40.* intellige, nisi Novitius, in  
 quantum sui juris erat, ante mortem aliter dispo-  
 nerit.

QUÆR. III. Quid sit professio, & quæ ejus  
 requisita?

R. Professio Religiosa est legitima emissio, vo-  
 luntarium solennium in Religione approbatâ; ad ejus  
 validitatem requiruntur sequentia:

1. Annus ætatis decimus - sextus completus,  
*Trid. Sess. 25. de Reg. c. 15.* In Ordine no-  
 stro

stro Præmonstratensi prohibetur professio fieri ante annum decimum-octavum completum, valet tamen citius facta, quia lex hæc est solum prohibens, non irritans.

2. Prærequiritur annus integer probationis, ut dictum est sup. in probabili periculo mortis valet professio ante expletum Novitium quodam indulgentias, & gratias spirituales, modo tamen annum 16. ætatis compleverit; non autem quodam reliquos effectus, ideoque Novitio reconvalescente reiteranda est, uti ex ipsa Bullâ Pii V. qui illud privilegium concessit Monialibus S. Dominici, probant *Rodrig. Reiffenst. num. 183.* nec in tali casu, nimirum si in periculo mortis fiat professio ante annum probationis completum, & mors ante eundem annum probationis completum sequatur, Monasterium succedit in bonis Novitii vel Novitiæ, sed parentes, & alii qui veniunt ab intestato.

3. Requiritur, ut professio sit libera à metu gravi, & injusto, *Trid. l. c.* Metus gravis reputatur intentatio mortis, mutilationis, inedia, carceris, gravium verberum, stupri, amissio patrimonii vel bonorum. Ita omnes teste *Sanch. l. 4. de mat. d. 4.* Metus reverentialis non censetur gravis, nisi jungatur cum importunis precibus, minis, aut cum timore gravis, & diuturnæ indignationis parentum; in dubio ad arbitrium iudicis recurrendum est. Ita plurimi apud *Sanch. disp. 6. Donat. Pyrrh. l. c.* Qui puellam invitam cogunt Monasterium ingredi vel volentem ingredi sine causa impediunt, non tantum peccant mortaliter, sed & excommunicantur à *Trid. c. 18.*

4. Ad valorem professionis requiritur, ut acceptetur à Superiore Ordinis cum consensu Conventus, *Rodrig. Laym. Pelliz. t. 3. c. 3. q. 7.* Quia professio est contractus onerosus & reciprocus, & quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, *R. 29. jur in 6.* Non tamen requiritur, ut singuli consentiant, sed sufficit, si consentiat major pars; imò ex consuetudine fieri potest, ut potestas recipiendi ad solum Superiorem spectet, & tunc eo mortuo nequit Conventus Novitios ad professionem recipere; secus, si ad Conventum & Superiorem simul spectat, *c. fin. de Regul. trans. in 6. Reiffenst. à 168.*

5. Requiritur debitus sexus, unde invalidè prohibetur mulier in Monasterio virorum, vel contra, item hermaphroditus, in quo prævalet unus oppositus, vel in quo uterque sexus est equalis; quia Superiores vel non possunt, vel non consentunt talem professionem velle admittere, *Sanch. de mar. l. 7. d. 106.*

6. Invalida est professio non baptizati, quia non est membrum Ecclesiæ, ergo nec Religionis. Si baptismus sit dubius, debet quidem baptizari, tamen videtur pro valore professionis, si est in possessione, *Menoch. l. 6. præcept. 4.*

7. Si professurus interrogetur super defectu delicti, illudque non manifestet, & Superior non intendat eum incorporare cum tali defectu, professio est nulla; si Superior simpliciter consentiat, non recordatus fortè talis defectus, professio est valida, etiamsi consensurus non sciret cognito defectu; nisi sit speciale statutum

V

hu-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. II.

hujusmodi professionem irritans; profitemus cum defectu occulto nocivo Religioni, gravem facit ei injuriam.

13. QUÆR. IV. Qui sint effectus professionis Religiosæ?

Re. Sequentes: 1. Obligatio perpetua ad tria vota substantialia, & manendi in Religione, quod vinculum mutuo Religionis & professi consensu tolli non potest; imò nec Papa facere potest, ut quis manens Religiosus non obligetur tribus istis votis, quia hæc vota sunt de essentiâ status Religiosi; potest tamen Papa ex causâ boni communis dispensare in his votis, & facere de monacho non monachum, *Gloss. in c. 6. de stat. monach. & ibid. Abbas num. 21. Cajet. Nav. Laym. & innumeri apud Sanch. de mat. l. 8. d. 8. num. 4. Mendo diss. 12. num. 37. & Papam sic sæpius dispensasse constat ex historiis apud Baron. ad annum Christi 1041. Ratio est: Papa potest dispensare in votis simplicibus, ut admittunt omnes, ergo & in solennibus, cum solennitas sit inventum Ecclesiæ, c. un. de votis in 6. Vid. Cas. 107. q. 3.*

2. Remissio omnis culpæ & pœnæ, ita ut à SS. PP. Baptismo æquiparetur, quod *Laym. hic c. 10. num. 1. Pelliz. c. 4. num. 12.* etiam ad renovationem votorum extendunt.

3. Professio commutat vel extinguit omnia vota simplicia prius emissa, c. scriptura de voto, ubi dicitur: *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare.* V. dicenda Cas. 71.

4. Aufert irregularitatem ex natalibus provententem in ordine ad suscipiendos S. Ordines, non autem ad prælaturas, c. 1. de filiis presbyt. Neque

ollit irregularitates ex aliis culpis vel defecti-  
tus ortas,

§. Inhabilitat ad matrimonium subsequens,  
dissolvit matrimonium ratum, ut dicam *Cas.*

107. q. 3.

QUÆR. V. Quid circa revalidationem vel re-  
clamationem Professionis?

1. Si Professio ex defectu ætatis, liberi con- 14.

stitutus, vel aliter est invalida, Religiosus non te-  
netur eam revalidare, sed *Trid. sess. 25. c. 19.*

concedit ei quinquennium à die Professionis,  
quo contra eam reclamare valeat; *Et tunc non*

*tenetur, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit*

*ad Superiorem suum, & Ordinarium. Quòd si autem*

*habitum spontè (hoc est temerè & sine causâ) di-*

*scerit, nullatenus ad allegandam quamcunque*

*causam admittatur, sed ad Monasterium redire*

*debetur, & tanquam apostata puniatur, interim*

*non nullo privilegio sui Ordinis juvetur. Ex quo*

*sequitur Regularem postulanti judicium fieri de*

*professionis nullitate, ab ipso iudicii limine*

*impelli, nisi constet eum, in Religionis suæ clau-*

*strâ morari & habitum Regularem resumpsisse, si*

*antea deposuerit, ita P. P. Benedictus XIV.*

*in sua Constitutione quæst. seq. allegandâ, ubi*

*etiam declarat, qualiter invaliditas professionis*

*probanda sit.*

2. Post quinquennium non amplius auditur, 15.

qui doceat se invaliditatem ignorâsse, vel à recla-  
matione, metu, aut fraude fuisse impeditum,

quia impedito non currit tempus, ita antè hac  
probabiliter *Suar. Rodriq. Nav. l. 3. conf. 23.*

3. *Castrapalao dis. 2. pun. 7. num. 5.* Ad  
contentum tamen *Trid.* verius imò ex jam fatâ Con-  
stitutione *Benedicti* certum est, etiam ignoran-  
tem

tem post quinquennium non audiri, cum Trid. expressè dicat: *Quinquennium currat à die Professionis tantum*; ergò non à die habitæ notitiæ, & pro hoc declarationes Cardinalium afferunt *Fagnan. Donatus to. 2. t. 12. q. 13. Pignat. to. 3. conf. 37.* Hoc tamen non obstante cum *Sanch. Barbos. Reiffenst. num. 204. Schmalzq. num. 202.* docent ab ignorante invaliditatem, vel aliter impedito, post quinquennium impetrari posse restitutionem in integrum, sed non nisi à Papa, & cum magnâ difficultate, quibus concordat memorata constitutio Benedicti XIV. in quâ facultas concedendi restitutionem in integrum privativè reservatur Sedi Apostolicæ; ita ut iudicibus inferioribus competere nequeat, non obstante quâcunque consuetudine aut Privilegio in contrarium; interim ex quo reclamans se ab Ordine expedire non potest, gaudet omnibus Ordinis privilegiis, & potest absolvi ut alii Religiosi, quia præsumitur esse talis, donec contrarium per sententiam declaretur, potsetque ad Ordines & Superioratum promoveri, nisi expressè reclamaret & diceret, se ratificare non velle, *Sanch. La Croix num. 29.*

16. 3. Si quis in foro externo nullitatem probare non possit, in foro tamen conscientie certus sit, professionem esse nullam, eandemque nunquam expressè, vel tacitè ratificaverit, non obligatur Religione, sed potest discedere, dummodo absque gravi scandalo, vel majori incommodo fieri possit, *Nav. consil. 84. Pyrrh. num. 148. Donat. q. 21.* Ratio est, quòd ad Professionem essentialiter requiratur consensus profitentis, quem lex humana supplere non potest, & Trid. præcipiens post quinquennium non audiri Professionem

essum fundatur in præsumptione ratificationis; ergo Professio nunquam ratificata fuit, manet nulla, nec obstat, quòd ignorans invaliditatem, professionem forsan renovaverit, sive expressè, sive tacitè exercendo officia veri professi, sicut voto in Capitulo, assumendo S. Ordinis, &c. quia ignorantis nullus est consensus, licet incogniti nulla voluntas, *Nav. conf. 5. § 39. c. 4. Pelliz. c. 5. num. 57.* nisi expressè apud se statuatur, quòd velit modò Professionem ratificare, si ab initio fuisset invalida, *Pelliz. Pyrrh. c.*

4. Si Professio sit nulla ex defectu solius consentantis in profitente, tunc revalidari & ratificari potest in secreto coram Deo, nec opus est Superioribus de hoc quicquam dicere; idem probat etiam tenet de Professione invalida ex defectu ætatis, vel alterius necessariò requisiti, quia superiores jam consenserunt in Professionem, & consensus non revocantur, vel saltem sufficit, quòd Papa, qui est supremus Ordinum omnium generalis, consentiat, juxta *c. significatum de reg. & trans. § c. 1. eod. in 6. Barbos. Nav. c. Sanch. La Croix l. 4. n. 31. Reiffenst. num. 219.* ubi id probat ex Trid. & declaratione Cardin. edita 29. Martii 1598. quæ solùm requirit tacitam, vel expressam ratificationem professi, nullam autem mentionem facit novæ acceptationis ex parte Superiorum.

QUÆR. VI. Quid hic amplius pro praxi notandum? 18.

2. Observanda est Constitutio Benedicti PP. XIV. quæ emanavit 4ta Martii anno 1748. in qua non solum confirmat, quæ in præactis Cardin. declarationibus expressa sunt, sed insuper,

ne Religiosus facilè, aut ex ignorantia facti, à Professionis vinculo absolvatur, aut absolutus anxiam vel malè tutam conscientiam vivat, declarat seqq. 1. Decretum S. Synodus Trid, supra cit, comprehendit viros & fœminas, & ipsam Religionem, ita ut sive mas sive fœmina, sive Religio ipsa, cujus aliquando interest, exempli gratia ob defectum non manifestatum sui Alumni Professionem irritam declarari, contra valorem Professionis agere voluerint, non audiant nisi intra quinquennium à die Professionis reclamaverint, & causas, quas prætenderint, coram Superiore suo & Ordinario deduxerint. Si causa intra quinquennium à die Professionis cœpta fuerit, sed reclamans post quinquennium causam prosequi non potuerit, aut neglexerit, coram iisdem iudicibus adhuc prosequi poterit, modo satis constet eam intra præscriptum tempus à reclamante serio intentatam fuisse.

2. Per Superiorem Regularem, qui una cum Ordinario, id est loci Episcopo, super nullitate Professionis, judicare debet, intelligitur Superior localis, nimirum “ Abbas, Guardianus, „ Prior, vel alius quocunque nomine nuncupatus, Præpositus seu Rector illius Cœnobii, in „ quo Reclamans Professionem emisit. De Monialibus statuitur, ut si immediatè subsint Ordinario, ille solus de Professione Reclamantium judicet, „ si vero Moniales regimini Regularium „ subsint, tunc hujusmodi causa judicari debeant „ à loci Ordinario simul & Superiore Regulari „ ab eo nimirum, cui concreditum est universum monasterii Regimen, non autem à Confessario Regulari Monialium : neque Superior Regularis jus suum cedere potest Ordinario lo-



ci, eique permittere, ut in hujusmodi causis solus procedat aut judicet; permittitur tamen Superiori Regulari, ut si iudicium assumere nolit aut non possit, alium surrogare valeat vel Regularem, vel Ecclesiasticum sæcularem, juris Canonici peritum, qui unà cum Ordinario iudicis partes exerceat; si Ordinarii & Superioris Regularis iudicia inter se discrepent, causa censi debet devoluta ad sedem Apostolicam.

3. Ad probandam invaliditatem non sufficiunt testationes extra judiciales quantumvis juramentatæ, aut etiam quæ ad perpetuam dicuntur; sed requiritur verus & judicialis processus, in quo & *Articuli* exhibeantur ex parte illius, qui adversus Professionem agit, & *Interrogatoria* dentur ab eâ parte, quæ stat pro ipsius professionis validitate, & testes tam super articulis, quam super hujusmodi interrogatoriis examinentur; hac formâ non servatâ, processus ipse, & sententia dependenter ab eo prolata, insanabili nullitatis vitio, corruere censeantur. Sub eadem pœnâ nullitatis decernitur, ut in hoc iudicio citari & audiri debeant, tum defensores monasterii seu cœnobii, in quo Professus vota Religiosa suscepit, tum ipsius Professus consanguinei, sive propinqui, sive alii, quibus bona sua donavit aut cessit, uno verbo, omnes quorum interest illius Professionem sustineri, imprimis autem ii citandi sunt, qui indicati erunt, tanquam authores vel complacitæ eidem incussi, ut votis invito se obstringeret.

4. Sicut altéfatus Pontifex anno 1741. decrevit pro causis, super valore matrimonii controversis, ut in singulis Diœcesibus ab Ordinario de-

putari deberet aliquis probitate & doctrinâ commendatus, qui dicatur *Defensor*, cujus officium esset, in judicio stare pro validitate matrimonii, ita hic mandat omnibus & singulis locorum Ordinariis, ut personam aliquam similibus qualitatibus præditam, in suis Dioccesibus eligant, cui *Defensoris Professionum*, munus imponant, qui omnia & singula pro valore Professionis agere possit & debeat, quæ injuncta sunt Defensori valoris Matrimonii in præfatâ Constitutione de anno 1741. cujus clausulas concernentes dabo *Caf. CV. quest. 6.* hic omnino applicandas, alioquin omnia sine interventu *Defensoris Acta* aut judicata, sunt cassa nulla & irrita: mercedem autem *Defensori* præstandam, sicut & reliquas litis expensas, taxabit Judex causæ, solvendas ab iis, quibus à Professo renuntiata fuerunt bona in Religionis ingressu dimissa, si autem non adsint bona renuntiata, aut Professus nil renuntiandum habuerit, ipsâ Religio solvet, si bona temporalia possideat, si verò Ordo temporalia non possideat, *Defensori* professionis satisfieri debet ex pecuniis mulctatum illius tribunalis, in quo causa agitata fuerit.

QUÆR. VII. An professus ad alium ordinem transire possit?

19. R. Id de jure fieri posse, si adsint sequentia:
1. Ut non fiat ex temeritate, levitate, irâ, odio erga Prælatum, sed zelo majoris boni, vel perfectionis consequendæ; si præcesserunt rixæ, aut transitum minatus est, præsumitur finis non bonus, *Sanch. l. 6. mor. c. 17.*
  2. Transitus regulariter fieri debet ad Ordinem strictiorem, & austeriorem, si non ex regulâ, saltem ex modernâ observantiâ talem, *Rodrig. to. 3. q. 52.*

2. 4. 4. *Reiffenst. num. 264* 3. Transitus fi-  
 ri non debet cum gravi damno, vel infamiâ  
 primæ religionis, quia commune bonum pri-  
 mo præferri debet, *Pyrrh. num. 160.* 4.  
 requiritur licentia, quam, causâ & fine tran-  
 situs examinatis, dare potest immediatus Super-  
 ior localis, vel Abbas, *Sylves. Azor. Sanch.*  
 5. nec requiritur consilium, vel consensus con-  
 ventus in transitum ad strictiorem, secus, si  
 ad æqualem, *Pyrrh. num. 65.* quia in tran-  
 situ ad strictiorem Religiosus utitur suo jure,  
 et in melius commutatur, quod non fit in  
 transitu ad æqualem. Dixi, de jure commu-  
 ni; nam hodieum pleræque Religiones privile-  
 gium habent, vi cuius Religiosi prohibentur  
 transire ad Ordinem etiam strictiorem sine expres-  
 sa licentiâ Papæ, teste *Donat. to. 1. t. 5. q. 45.*  
 Et illa licentia non conceditur, nisi doceatur,  
 quod Religio strictior parata sit eum suscipere; &  
 antequam suscipiatur, debet transiens exhibere  
 litteras dimissorias sui superioris, & licentiam  
 Papæ. Hujusmodi transitus non expedire, ne-  
 que utiles esse, docent plerique cum

*D. Th. 2. 2. q. 189. a 8. &*

probat experien-  
 tia.

